

adolescentulus *super seniores* tempore ab infanzia intellexit ¹⁵¹), posuit vos a dextris suis ¹⁵²) in splendoribus dignitatum, ut velud lucifer matutinus in firmamento eius splenderetis, ut iudicaretis in nacionibus, impleretis ruinas et in terra copiosa quassaretis capita superborum ¹⁵³).

(5) Ecce enim ex hoc omnes generationes predicant vos beatos ¹⁵⁴), videntes ex ore sedentis in trono ¹⁵⁵) procedere gladium bis accutum ¹⁵⁶) ad spiritualia et carnalia vicia resecanda.

(6) Verum, ut verbis utar dominicis: *Tu es Petrus, et super hanc petram edificavit dominus imperator curiam suam* ¹⁵⁷), *adversus* quam porte inimicorum et rebellium non poterunt prevalere ¹⁵⁸); vobis tradite sunt *claves* plenitudinis potestatis, *quibus aperitis et nemo claudit, clauditis et nemo prevalet aperire* ¹⁵⁹). Super hanc petram quasi alter Iacob dormiens et requiescens ¹⁶⁰) idem dominus imperator erexit eam in titulum glorie et honoris perfusam cum oleo pietatis ¹⁶¹). Illa profecto petra abscisa de monte maximum post excrevit ¹⁶²), illa procul dubio de funda David prosiliens hostem gentis Hebraice interfecit ¹⁶³), hec est petra refugium erinacis ¹⁶⁴), illa, de qua secundum Iob olei rivuli largiter emanabant ¹⁶⁵), illa eciam, de qua dicit apostolus: *bibebant omnes de spirituali petra Ierusalem filios consequenti* ¹⁶⁶). Sugunt cottidie omnes regnicole mel et oleum de hac petra ¹⁶⁷), per mel dulcedo verborum et per oleum utique suavitas misericordie designatur.

(7) Exurge ergo gloria mea, exurge, psalterium et cithara ¹⁶⁸) valde dulcis, et presumptione solita tamquam Petrus apostolus pro fratribus alloquimini dominum terrenorum ¹⁶⁹), quia non fecit taliter omni nationi sicut vestre persone nec iudicia sua ita manifestavit alicui sicut vobis ¹⁷⁰).

Electus enim estis ex milibus, subelecti ex pluribus et ex plurimis preelecti, vobis datum est nosse misterium imperii atque regni, ceteri autem in parabolis audierunt ¹⁷¹).

Carissime domine, extra fratres vestros tamquam Iacob Ioseph dedit vobis partem ¹⁷²) dominus imperator et insignivit vos speciali caractere

¹⁵¹) Ps. 118, 100; s. Nr. 2, 20. ¹⁵²) Vgl. Ps. 109, 1. ¹⁵³) Ps. 109, 6. ¹⁵⁴) Luc. 1, 48. ¹⁵⁵) Apoc. 5, 13; vgl. HB. 107, 11—12. ¹⁵⁶) Apoc. 1, 16. ¹⁵⁷) Vgl. HB. 2, 32—33. ¹⁵⁸) Matth. 16, 18—19. ¹⁵⁹) Apoc. 3, 7; HB. 2, 27—28. ¹⁶⁰) Gen. 28, 11. ¹⁶¹) Gen. 28, 18. ¹⁶²) Dan. 2, 34. ¹⁶³) 1. Reg. 17, 40—50. ¹⁶⁴) Ps. 103, 18. ¹⁶⁵) Iob 29, 6. ¹⁶⁶) 1. Cor. 10, 4. ¹⁶⁷) Deut. 32, 13. ¹⁶⁸) Ps. 56, 9; 107, 3. ¹⁶⁹) Vgl. Matth. 16, 16 u. öfter. ¹⁷⁰) Ps. 147, 20. ¹⁷¹) Luc. 8, 10; vgl. MG. Const. 2, 565, Z. 2—3. ¹⁷²) Gen. 37, 3; vgl. HB. 2, 24.